

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7.  
8.  
9



1614.

1. Arumaeus, Dominicus: De jurisdictione:
2. Arumaeus, Dominicus: De praeiudicibus et hypo-  
thecis.
3. Arumaeus, Dominicus: De salvo conducto, quem  
vulgo Liber Felicitis vocant in jure Rechten und vor  
unsere Gerichte appellat.
4. Carpzovius, Conradus: De inofficioso testamento.
- 5<sup>o</sup> = 6<sup>o</sup> Fomannus, Ortelphus: De jure accrescendi . . .
6. Fomannus, Ortelphus: Centuria duae themae  
sive jurisdictionum ex materia restitutionis illius  
integrum
7. Fomannus, Ortelphus: De impensis deducendis.
8. Gryphander, Johannes: De jure statutaris.
9. Hilligerus, Oswaldus: Vindiciae Mauritaniae,  
apponitur erroribus . . . Jo. Bodini, de expeditione  
Mauritii, Elect. Saxoniae . . . a 1564 suscepta.

1614.

10. Hilligerus, Oswaldus: De successione ab intestato ad Novell. 118.

11. Hilligerus, Oswaldus: De iudice.

12. Melorius, Valentinus: Discursus acut. ad. l.

naturalis 5 Parago. Et si quis dem pecunia an dem.  
D. de praescriptis verbis et in factum actionibus.

13. Pfefferkorn, Emmericus: Decus quaestionum juris dicarum.

14. Pfefferkorn, Emmericus: De usucapionibus et praescriptionibus.

15. Pingiperus, Vryglus: Virtutatis ad l. quae sunt perinde ac si Diffinitiones.

16. Radewaldus, Christianus: De dolo, culpa et casu fortuito in contractibus praestando.

17. Riemerus, Valentinus: Manipulus miscellaneus juris controversi quaestionum

18<sup>a</sup> = Riemerus, Valentinus: *Jura feudis namque*  
in feudis. 2 Sumpt. 1617 & 1742

19. Theronius, Petrus: *Semicultoria controvers-*  
*iarum in jure civili, canonico, feudali, et*  
*vicaribus imperii selectissimorum.*





1513

N. II.  
1617,4 4

X

Ex Collegio  
Institutionum Imperialium  
DISPUTATIO IX.  
*Ad tit. XVIII. lib. II. Inst.*  
DE  
**INOFFICIOSO  
TESTAMENTO,**

Quam

D. O. M. A.

*Consensu Magnifici & Amplissimi*

*Jctorum Collegii in illustri hac*

SALANA,

SUB PRÆSIDIO

**CONRADI CARPZOVII  
WITEBERGENSIS,**

*Nobiliss. & Præstantiss. suis Dnn. Collegis  
sentilendam proponit*

**PAULUS WESER LIPSIENSIS,**

*Ad diem 5. Augusti, hora & loco consuetis.*

**J E N Æ**

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI,  
ANNO M DC XVII.



V I R I S

*Tum a vitâ Generis Nobilitate, tum pie-  
tate, doctrinâ, prudentiâ, omniumq; Virtutum  
laude & ornamentis eminentissimis &  
spectatissimis*

Dn. MAGNO Z Z Herrn/  
Seniori,

Dn. MAGNO Z Z Herrn/  
Juniori,

Dn. PAULO HEUGELIO,  
Patriciis Noribergensibus, Meccœnati-  
bus & Fautoribus, Affinibus ac Avunculo suo,  
omni reverentiæ studio & cultu  
prosequendis.

*Nec non*

*Honoratissimo & vitæ integritate conspicuo Viro,*

Dn. JOHANNI Webern / Civi ac  
Mercatori Lipsiensium primario, Parenti,  
æternâ pietate ex filiali affectu venerando,

*Juridicum hoc exercitium, observantia debita,  
gratitudinis, & amoris testificandi gratia offi-  
ciosè & submissè L. M. Z.*

offert &  
consecrat

*Respondens.*



DISPUTATIO JURIDICA.

ad tit. XVIII. Inst:

DE

Inofficioso Testamento.

Princip.

PARAPHRASIS.

**T**estamentum, in quo liberi frustra exheredati, *Paul. 4. Sent. 5.* aut præteriti sunt *hoc pr. l. inofficiosum 3. ff. b. t.* inofficiosum dicitur, quo parentibus novercalibus, aliorumq; delenimentis, istigationibusvè corruptis, dum circa sanguinem suum malignè inferunt iudicium adversus liberos suos injuriam inducentibus non est consentiendum, *l. non est 4. ff. b. t.* ideò hoc colore quasi non sanæ mentis, non quidem verè, cum testamentum ordinarent, fuissent, *l. hoc*

A 2

colore

colore ff. h. t. de eo agere inductum est,  
h. pr. quam inductionem audacem ait  
*Hortens. hic.*

## POSITIONES.

I.

*Querela inofficiosi moribus introdu-  
cta, jure Civili confirmata est.*

*L. nam & biss. ff. b. t. ibi; Obtinere assidue sole-  
ant, & l. circa 24. ff. eod. ibi; evenire plerunq; ad solet;  
quibus verbis potius factum quam jus arguitur; fa-  
cit, quod nec jure Prætorio exheredatione notati ad  
bonorum possessionem contra tabulas admittantur,  
nec jure Civili parentum testamenta turbent, h non  
putavit 8. ff. de honor. poss. contr. tab. Item h. pr. notetur  
verbum Inductum, quod plerunq; moribus attri-  
buitur, cum de legibus magis dicatur constitutum,  
ac Testamentum, quod hanc querelam impugnatur re-  
cte factum dicitur, & sic secundum ll. verum non ex  
officio pietatis, h. pr. l. hoc colore 2. ff. h. t. non igitur  
ex libus poterit impugnari; Imò, patriæ potestatis,  
quæ ad jus vitæ & necis extendebatur, l. fin. C. de pat.  
potest. & libertatis, secundum quam ll. 12. Tab. testa-  
ri licitum est, l. verbis 120. ff. de V. S. effectu parenti-  
bus liberos præterire & injustè exheredare conce-  
sum videtur. Hanc sententiam defendit Don. 19. Com-  
ment. 4. Hortens. hic, qui putat, si lege constituta esset,  
non opus fuisset dementia colore, aut prætextu exi-  
stimationem Testatoris sollicitante. Diss. Cujac. 2.  
obs. 21. 3. obs. 8. 14. obs. 14. Wesenb. in parat. ff. h. t. n. 2.  
& ad Rubr. C. eod. n. 17. qui ex jure Civili ejus origi-  
nem*

nem deducunt. *Duar, ad b. t. ff. c. 2.* qui putat hanc ex Constitutionibus fortè quibusdam Principum esse introductam, *idem Vigl. hic n. 2. Vult. hic num. 2.* qui mixto juri eam adscribit.

II.

*Querela inofficiosa etiam hodiè hoc colore proponenda est, quasi non sane mentis testator fuerit, cum conderet testamentum.*

*Hoc pr.* Idque favor testamentorum suadere videtur, *l. 2. l. 5. § 1. ff. b. t.* & vix poterit agens injuriam pretendere, ut quæ morte extinguitur, *arg. l. fin. C. de revoc. donat.* & quam propriè non facit, qui nihil contumeliæ causa fecit, *Wesemb. hic, n. r.* alia igitur impugnandi causa erit querenda. Et quamvis hodiè, *vide quest. 1. § 1.* in lineâ rectâ querelæ non sit locus, nisi ubi causa justa, sed ea tamen dubia expressa est, hanc tamen filius habet intentionem, quod utique immeritò, & contra officium pietatis exheredatum se contendat. *Vigl. hic n. 2. Wesemb. ad Rubr. C. b. t. n. 56. Diss. Schneid. Secutus est Bart. hic num. 17.* Cumque ille color fundetur in eo, quod omissæ sint personæ, quibus pietas aliquid relinqui suadet, minus in lineâ transversali necessarius videtur.

III.

*Querela inofficiosa differt à speciali hereditatis petitione.*

Illam enim hujus præparatoria est, *l. si quis 34. C. b. t. ibi;* Nulla hereditatis petitione ex nomine de inofficioso constituta vel preparata, *l. qui de inofficioso 20. ff. b. t.* aut incidenter per modum exceptionis, *l.*

Papinianus 8. § si filius 13. ff. b. t. l. 165. § 1. ff. de R. Jur. vel replicationis, si petitionem hereditatis ab intestato instituenti objiceretur exceptio testamenti, ex l. quamdiu 89. ff. de acquir. hered. rectè utatur replicatione, si non sit inofficiosum, arg. tit. inst. de replicat. aut principaliter l. qui repudiantis 17. l. pen § si heres ff. b. t. sanè hereditatis petitionem nunquam possessor intendit, cum in rem actio sit, arg. l. actionum ff. de obi. & act. qui tamen de inofficioso dicere potest, d. l. qui de inofficioso, ff. b. t. facit, quod plerunque hereditas petatur, ubi de inofficioso nulla quæstio est, & querela aliquando agat, qui jus succedendi non habet, l. posthumus. 6. § si quis 1. ff. b. tit. Sic aliàs judicium sive remedium rescindens & rescissorium à se iuicem differunt, secundum Dd. communiter ad § rursus 1. de Act. Glos. in Rubr. ff. b. t. & ad verbum exercere in l. 20. ff. eod. Wesenb. in Parat. ff. de pet. hered. nu. 1. Cuj. ad Paul lib. 4. sent 5. Diss. Don. 19. Comm. 3. Harpr. ad § rursus 1. de Action. n. 7. in fin. In uno tamen eodemque libello querela hæc, & hereditatis petitio rectè cumulantur, l. si quis 34. C. b. t. l. filium 20. in pr. vers. sed quemadmodum: ff. de bon. poss. cont. tab. & hanc existimant esse rationem connexionis tit. de inofficioso test. & de pet. hered. Wesenb. d. loco. n. 1.

IV.

*Justa exheredationis causa nulla est, nisi qua nominatim in N. 115. c. 3. reperitur expressa.*

*N. 115. c. 3. in pr. ibi; ut præter ipsas nulli liceat; Sanè si similes aut graviores, secundum communem opinio-*

opinionem, exheredationis causæ admitterentur,  
non opus fuisset enumeratione, nec rectè diceret  
Imperator, graviores causas fuisse prætermittas, nec  
veterum altercatio sublata esset, ut verum videatur  
quod ait *Vigl. ad § fin. l. de exher. liber. n. 8.* Nusquam  
gravius ab interpretibus peccari, quàm in hac exten-  
dendarum legum licentiâ. Sunt qui communem  
opinionem, quamvis nec menti, nec verbis Justini-  
ani conveniat, quod ipsi concedunt, omninò reci-  
piendam existimant; quam tamen ceu pestem veri-  
tatis & justitiæ longè nocentissimam fugiendam esse  
egregiè demonstrat *Dn. Helfr. Ullr. Hunnius de Interp.*  
*Et Author. jur. l. 2. c. ult. ubi plura de aommunis opinio-  
nis Et glossatorum auctoritate eleganter conscripsit.*  
Habent quidem rationem satis speciosam; quod  
odiosissimum sit, patrem cogi, ut impio & indigno  
filio bona sua relinquat, cum plures ingratitude  
causæ quotidie emergere possint, juxta *Feudist. 2.*  
*Feud. 24* ut Tribonianus temerarius fuisse videatur,  
dum omnes ingratitude causas enumerare se  
posse sibi persuaserit; Verum hæc nunquam inten-  
tio ipsius fuit, omnes enim, sed dignastantum, ob  
quas exhereditatio concedenda videbatur recensere,  
sibi proposuit, reliquas emersuras tanquam indi-  
gnas rejicit, aut quia sint leviores, aut quamvis sint  
pares vel majores, legis tamen non habeant assisten-  
tiâ, & dum hîc, odium privatum cum favore publico  
concurrat, illud huic merito postponendum, *A.*  
*res que. C. comm. de Legat. Principis enim interest*  
*locupletes sub se habere subjectos. N. 8. in prefat.*  
*vide Vigl. ad d. § fin. n. 7. Vult. ad pr. h. n. 13. Donell. 9.*  
*comm. 12. Diss. Fachin. 6. contr. 78. Menoch. lib. 7.*  
*arb. Jud. qu. cent. 3. cas. 267. n. 6. Ant. Matt. in not. hic.*

De eo dubitari posset, an præter octo causas, quæ recensentur in N. 115. c. 4. ob quas parentes exheredari possunt, aliæ sint admittendæ? Negandum videtur, propter ea quæ sunt præmissa de liberis, ut qui gravius peccant offendendo parentes, clausula itaq. taxativa, *exc. 3. in c. 4.* erit repetenda.

V.

*Testamentum ex conon. sustinetur quod filius in præteritionem consenserit.*

Hic enim consensus adversatur dispositioni legis, N. 115. c. 3. & quoniam testamentum, in quo filius præteritus est jure non valet, huc referendum, quod ait *Ant. Fab. 13. Err. pragmat. 3.* inauditum esse, & à Juris principis prorsus alienum, ut testamentum, quod ab initio omni jure nullum est, postea jure aliquo conualescat. Implicat præterea ejusmodi consensus renunciationem jure invalidam, *Ant. Fab. 9. Conject. 14. qui à seipso dissentit 1. Conj. 19.*

VI.

*Querela inofficiosi nec hodiè conceditur contra militis testamentum.*

*L. Papinianus 8. § si quis in militiâ 4. ff. b. t. l. de inofficios., 9. l. testamentum 24. l. fin. C. eod. l. ult. C. qui testam. fac. poss.* Cumque N. 115. de iis personis loquatur, quas citra ingratitude causam exheredare non licet, de militum filiis non poterit intelligi, cum hi citra causam possent exheredari, *l. fin. C. b. t. Vigl. ad § sed si 7. de exher. liber. n. 4.* Utitur & hoc argumento, *Fach. controuv. 74.* quod veteres ll. nunquam ex Novellis corrigantur, nisi exprimatur præfatione præmissâ à Justiniano, aut necessario ex verbis



verbis novæ constitutionis eliciatur legum veterum correctio. Hoc etiam ad milites nostri temporis refertur, cum & hi, quando Imperatori Romano, vel alii Domino superiorem non recognoscenti ad honesta & licita bella se obstrinxerunt, & publica merent stipendia, ad signa iurarunt, statuta, ll. & usus militares observant, veterum militum privilegiis omnino gaudeant, *per ea que tradit Bocer. l. r. de iure bell. c. 28. n. 8. Vide eundem c. 26. n. 8.*

§ Non autem. I.

P A R A P H R A S I S.

**C**um turbato ordine mortalitatis, non minus parentibus quam liberis pie relinqui debeat, *l. nam et si. 15. h. t.* non tantum his parentum, sed & illis si ab intestato succedere potuissent, *gloss. ad l. 1. ff. h. t. liberorum testamentum inofficiosum accusare permissum est, h. § 1. l. 1. l. 8. in pr. & § 3. l. 15. cum sim. ff. h. t.* Idem porrectum est per Imperatores etiam ad testamenta fratrum & sororum inter se, si iis sic inter se omis- sis aliæ turpes personæ fuerint institutæ, *h. § & ex l. 1. & 3. C. Theod. de inoff. Test. refert Hortens. hic.* à quo tamen fratres

B

&

& sorores uterinos removet Constantinus *l. fratres 27. C. h. t.* Atque exceptis fratre & sorore, nemo eorū qui ex transversā lineā veniunt, agere potest, *l. fratris 21. C. h. t.* nec agens vincere *h. § cum sumptibus inanibus se vexare dicatur ab Ulp. in l. 1. ff. h. t.*

## POSITIONES.

I.

*In lineā rectā querela hodiè regulariter locum non habet.*

Testamentum enim non solum parentum, sed & liberorum, si in eo liberi vel parentes aut præteriti fuerint, aut adjecta injustā, *§ c. 3. ac 4. N. 115.* non probatā causā exheredati, ipso jure nullum est, *vide Don. 6. comm. 3. Ant. Fab. 20. Error. 4.* ut per querelam non sit rescindendum, quia Justin. eodem modo *in pr. c. 4.* non licere liberis parentes suos præterire aut à reb<sup>9</sup> propriis alienare: *§ in fine* si contra factū sit, *perinde ut in c. 3. § ult.* nullā vim ejusmodi testamentū habere, constituit. videtur sanè post *b. N. 115* Si imò querela institueretur, planè imaginaria, cum semper exheredatus vel præteritus obtineret, nullā enim vel injustā exheredationis causā expressā, heres non admittitur ad probandam ingratitudinem, ut heres frustrā compareret, qui vincere non posset, frustrā Judex eam actionem reciperet, in qua nulla causæ cognitio. *Wesenb. hic n. 3. § in parat. ff. b. t.*

*num. 7.*

*In initio sed et post  
si sit rescissum querela  
et si testamentum  
N. 115. c. 4. ubi  
rescisso testamento.*

num. 7. Gilk. in l. omnimodò 30. C. b. t. Dis. Vigl. hic n.  
4. Ant. Matt. in not. hic Don. 19. Comm. 4. Vide Ant.  
Fab. 14. Error. 7. Ille casus excipitur, cum justà ex cau-  
sà exheredatio facta est, quæ tamen nondum proba-  
ta sit Wesenb. d. num. 7. & hanc opinionem ait tutio-  
rem Gilk. d. l. num. 8.

II.

*Præteritis liberis testamentum nul-  
lum est, tantum quo ad institutionem.*

Cætera enim capitula ut libertates, legata, & fi-  
deicommissa in eodem relicta salva manent, *A. ex  
causa C. de liberis præter. N. 115. cap. 3. v. sive igitur c. 4.  
§. fin. v. si quid autem.* qui textus non saltem de mater-  
nâ uti volunt *Ant. Fab. 20. err. 4. Gilk. ad d. A. ex cau-  
sa,* sed etiam paternâ præteritione, & exheredatione  
loquuntur. Idem evincit hæc ratio; *quod in d. N. vo-  
luerit Imperator præteritionis & exheredationis in-  
juriam à liberis auferre; Filio autem præterito fit in-  
juria saltem quo ad institutionem.* Denique si ob  
exheredationem iniquam totum testamentum non  
vitietur, *d. vers. sive igitur,* multo minus ob præteri-  
tionem, quod major injuria filio inferatur, si falsis  
criminationibus exheredetur, quam cum silentio  
prætereatur, nec verbis lædatur contumeliosis. I-  
dem de substitutionibus pupillaribus. *Don. 6. Comm.  
13. & ad Auth. ex causa n. 7.* generaliter enim omnia  
alia Capitula legibus concessa, quibus verbis sola  
heredis institutio excipitur, valere dicuntur *d. vers.  
si autem. Don. ad d. Auth. num. 10. Wesenb. ad Rubr. C.  
b. tit. num. 72.*

B 2 Inter

*Inter turpes personas, quibus institutis testamentum fraternum rescinditur, spurius etiam refertur.*

Fratres enim querelam movere possunt ex *Constit. Constant. in l. 27. C. b. t.* si scripti heredes infamiae vel turpitudinis, vel levis notae macula adspargantur; quae notae macula spurios adspergi, constat exinde, quod omni iure procreationes ex legitima conjunctione duntaxat probentur, ut nemini ex damnato coitu honestae possint videri; imò ex his de naturae spuriorum mala sit praesumptio. Et satis abunde testatur experientia, apud graves & honestos viros spurios male audire, ex quo probabiliter disputari posset, an non infamiam, quam Dd. facti appellant, laborent? quae secundum gloss. hic querelae locum facit. Quod de iis, qui revera spurii sunt, i. e. sparsim concepti, patrem incertum habentes, non etiam naturalibus, quorum melior conditio, accipiendum. Nihil contrarii probat *l. 3. §. 2. ff. de decur.* praeter vulgarem enim responsionem, quod in casu demum necessitatis ob defectum legitime quaesiti ad decurionatum admittatur, potius contrarium probatur; si enim spurii nullam notarentur maculam, qualis fuisset dubitatio, num admissio eorum sordi sit ordini? Et cur huius fundamentum ponitur in utilitate, si omni ex parte famae essent integrae. Quod objicitur, filium iniquitatem patris non portare, verum videtur ratione poenae, non ratione exstimationis: *ut sic l. 2. §. 3. ff. de decur. de juris infamia exaudia.*

exaudiatur; & quid hic de iniquitate aut notâ patris  
dici poterit, cum ne patrem quidem habere intelli-  
gantur, l. 23. ff. de stat. bom. arg. l. 5. de in jus voc. Myns.  
4. Obs. 31. Dis. Da. Comm. Hart. Pist. lib. 1. qq. 30. Thoming.  
decis. 48. Facb. 4. Contr. 93.

IV.

*Rescisso fratris testamento, in quo tur-  
pis persona instituta erat, frater prateri-  
tus non tenetur, propter clausulam Codi-  
cillarem, retentâ legitimâ, hereditatem  
heredi scripto restituere.*

Dementiae colore, etiam fratrum & sororum  
testamenta, si turpis persona fuerit instituta, impu-  
gnantur, Hortens. hic; unde si ejusmodi testamentum,  
quasi à demente factum videatur, fideicommissa  
non valent l. Titia. 13. in fin. ff. b. tit. & sic clausula co-  
dicillaris, in qua erant relicta, nullius erit momenti;  
cum & alias ea quæ prohibentur per indirectum  
non soleant concedi, c. cum quid unâ viâ de R. J. in 6.  
facit tex. in l. nec fideicommissa 36. ff. de Legatis 3. Ea  
quæ quæstione 2. proponuntur, hûc trahi non pote-  
runt, cum d. N. 115. cap. 3. & 4. nominatim de paren-  
tum & liberorum agant testamentis, ut temerè, tan-  
quam Constitutio nova ad fratrum testamenta non  
sit trahenda. Tesb. decis. 128. Vide Facb. 4. Contr. 91.

V.

*Fratrum filii cum patris succedunt,  
patruo per querelam intestato facto.*

*Per querelam enim res reducitur ad causam*

B 3

inte-

intestati, & omnes successiones ab intestato decedit  
N. 118. nec tantum eos casus quibus ab initio quis in-  
testatus decedit, sed etiam quibus postea testamen-  
tum rumpitur, aut irritum fit, sicque etiam ubi per  
querelam tanquam inofficiosum rescinditur. Facit  
quod testamentum inofficiosum prae-textu furoris  
rescindatur, ut eo magis paterfam: pro intestato sit  
habendus. Et eadem ratione fratres unâ cum paren-  
tibus suis ab intestato succedunt, si parens filium per  
inofficiosi querelam intestatum fecerit; *Accurs. in  
gloss. hic & Job. Fab. Diss. Vigl. hic n. 9. Vult. n. 9. & 10.*

§ Tam autem. II.

### PARAPHRASIS.

**N**on solum naturalibus & legitimis  
simul, sed & secundum *Const. l. pen.  
C. de adopt. adoptatis*, quibus quar-  
ta bonorum debetur §. *cum autem 3. J. de  
adopt. ex rescripto Divi Pii l. 1. §. si impu-  
bere 21. ff. de collat.* de inofficioso testa-  
mento agere licitum est, *h. §. 2.* cumque  
hoc fiat remedio subsidiario *l. maximum  
4. vers. scimus C. de liber. prater.* locum  
habebit, quando aliâ ratione & viâ Juris  
legitimam consequi non poterunt *h. §.  
& l. 16. ff. de minor.* Prius itaque viden-  
dum,

dum, nunquid iniustum, ruptum, vel ir-  
ritum sit testamentum, quia tunc rescif-  
sione non indiget; aut, nunquid filius  
emancipatus eo præteritus sit, qui bono-  
rum possessionem contra tab. petere  
possit *l. si propones 23 ff. de inoff. test.* Com-  
petit & hoc jus posthumis, qui ut reliqui  
liberi institui debent, *§. posthumi. J. de  
exher. liber.* exheredatis non etiam præ-  
teritis, quia tunc testamentum rumpi-  
tur, *Vide Vult. ad d. §. posthumi. Nic. de  
Voerd. ad h. §. num. 6.*

## POSITIONES.

### I.

*Arrogati impuberes de inofficioso a-  
gunt nisi quartam omnium bonorum acce-  
perint.*

*Nam in l. 2. C. de adopt. dicitur impuberi quartam  
bonorum arrogatoris partem esse præstandam. Et idem  
in l. 8. §. 15. ff. de inoff. test. asseritur, item in l. 1. §. 21. ff.  
de collat. quarta ista de bonis arrogatoris præstari, l. 22.  
§. 1. ff. de adopt. quartam ex bonis arrogatoris consequi  
impuberem. Ex quibus colligitur, quartam illam quæ  
ex D. Pii constitutione arrogato impuberi debetur,  
quar-*

quartam esse partem universorum bonorum, non  
portionis debitæ. *Vaud. lib. 1. quest. 29. Don. 2. Comm. 2.*  
*Dis. Wesenb. ad §. 3. J. de adopt. Vult. ad pr. J. de adopt.*  
*num. 6.*

II.

*Hodie posthumis querela non datur,  
non enim possunt ex heredari.*

Quia ad sustinendum testamentum non sim-  
plex exhereditatio requiritur, sed qualis tanquam le-  
gitima fit appositâ causâ justâ & legitimâ, cujusmo-  
di posthumo adscribi non potest. Si enim de facto  
exheredetur, testamentum ipso jure erit nullum.  
*supr. §. 1. q. 1. Cuj. ad l. placet 4. ff. de lib. & post. her. instit.*  
*Tholosanus lib. 44. Syntag. juris cap. 3. n. 5. Vult. ad §. 1.*  
*J. de exher. lib. num. 14. Dis. Don 6. Comm. 13. & ad A. ex*  
*causâ C. de lib. prater. Pac. cent. 5. quest. 86. Duar. eod. ti.*  
*de inoff. test. cap. 6.* Sed cur olim potuit exheredari  
ad concessum arbitratur *Vigl. d. §. 1.* ob maximum pa-  
triæ potestatis jus; ubi subjicit: sæpe ex hereditatio,  
quantumvis iniqua effectum consequeretur: multi  
enim lites fugiunt, multi serius i. e. post quinquen-  
nium instituunt, multi ante præparatam querelam  
moriuntur.

III.

*Filia jure Canonico à querelâ exclu-  
ditur, si paterna hereditati cum juramen-  
to renunciaverit.*

Nihil omninò agit filia, paternæ hereditati re-  
nuncians; quid autem, si talis renunciatio fuerit ju-  
rata ?



rata? Jure Civili ne tunc eam valere expeditum est, quamvis enim jusjurandum res sacra sit, eo tamen ad impugnandas bonas leges abuti non debemus; & jusjurandum pactiois superioris confirmandæ causa adhibetur, pactio autem ejusmodi nulla est; certè jure perindè habetur quasi nulla esset *l. non dubium C. de legibus.* nullum igitur jusjurandum. *Don. ad l. fin. C. de Pact. num. 11. Gædd. de contr. & comm. stipul. cap. 6. conclus. 7 n. 102.* Jure autem Canonico hæc renunciatio, juramento intercedente, efficax & utilis redditur. I. *Per tex. expr. in c. quamvis 2. de pact. in 6.* II. Quia jure Canonico talis renunciatio non est contra bonos mores, cum neque naturâ improbetur, nec peccatum foveat, & sic erit obligatorium, & sine detrimento æternæ salutis potest servari *arg. c. non est obligatorium de R. 7. in 6. d. c. quamvis 2. de pact. in 6. c. licet 2. de jurejurando in 6. Förster. tr. de Pactis n. 6. Vid. Harpr. ad pr. J. de hered. que ab intest. defer. num. 33. & seqq. Ant. Fab. Err. pragm. p. 2. decad. 41. Err. 5. qui n. 1. dicit,* tale pactum valere non tam potestate jurisjurandi, quam autoritate Constitutionis Pontificiæ; cum quo sentire videtur *Gædd. d. Concl. n. 107.* ubi tamen subjicit *n. 109.* hoc pactum in Germanico Romano Imperio propter vim ac potestatem longævi usus ac consuetudinis esse tolerandum.

§ Sed hæc III.

## PARAPHRASIS.

**L**ocus est querelæ inofficiosi testamenti, cum liberis nihil penitus à testato.

C

stato.

statoribus testamento relictum est, quod si minus legitima, Constit. Justiniani in *l. omnimodò 30. C. h. t.* ad verecundiam naturæ, cum parentibus non solum vivis, sed & mortuis, honor debeatur, *Cuj. hic n. 3.* jus supplementi introduxit *Gilk. ad d. l. omnimodò C. h. t. n. 2.* ut magis testamentis parceretur, minusq; frequentaretur hæc querela, *Hortens. hic.* & vocatur vulgò remedium *d. l. 30.* actio ad supplementum legitimæ. *Vigl. hic n. 2.* Indistinctè etiam hoc inductum, quamvis clausula de adimplendâ legitimâ portione non fuerit adjecta, *h. §. in fin. & d. l. 30. C. h. tit.*

## POSITIONES.

### I.

*Ad supplementum legitimæ, conditione ex L. agitur.*

*L. omnimodò C. h. t. junct. l. un. ff. de condict. ex L. Don. 6. Comm. 12. Ant. Fab. Err. pragm. decad. 14. err. 8. Wesenb. in A. novissima C. h. t. n. 83. Gail. 2. obs. 120. Diss. Vid. Harpr. ad §. fin. h. t. n. 42.* Cujus fundamentum est, quod legitima sit portio hereditatis, at probabilius eam esse portionem bonorum; nam si gravamen.

vamen legitimæ adjectum pro non adjecto habeatur; *l. quoniam in priorib. C. b. t. sequitur eam quor-  
tam bonorum esse. Vide l. 8. §. 9. ff. b. t. l. 6. C. eod. Ant.  
Fab. 14. err. 8. Guk. in A. novissima C. b. t. num. 4. Diss.  
Fack. 4. controu. 65. & 5. controu. 56.*

II.

*Hac actio triginta annis tollitur.*

Est enim personalis, & sic perpetua *l. 3. l. ult.  
C. de prescript. 30 annor. §. 1. J. de perpetuis & temp. act.  
querela quidem quinquennio, quod ab aditâ here-  
ditate computatur, Wesenb. in parat. C. b. t. n. 11. præ-  
scribitur, quia datur ad testamentum rescinden-  
dum; illa vero ad supplementum, & testamentum  
conservandum, & si favorabilior querela *arg. l. vel  
negare §. ff. test. quem. aper. Vigl. hic n. 2. Vult. n. 4.  
Mynsing. 2. obs. 72. Gail. 2. obs. 120.* Illud notandum;  
post mortem patris, filii vel fratris, legitimam debe-  
ri, est enim pars successionis ab intestato *l. 8. l. 31. C.  
b. t. in bonis a. viventis nulla est successio, Mynsing.  
5. obs. 25.* ac in eâ supputanda spectatur quantum re-  
stator tempore mortis in bonis reliquit *l. cum quæri-  
tur 6. A. novissima. C. b. t.* unde filio ob delictum ali-  
quod commissum contemnato, omnibusq; bonis ej<sup>9</sup>  
publicatis, pater tamen legitimam filio naturali ra-  
tione debitam fisco applicare compelli nequit. *Gail.  
2. de bann. Imper. obs. 13. n. 35.**

§ *Si tutor, 4. & §. Sed si, 5.*

PARAPHRASIS.

**T**utor accipiens legatum pupillo suo  
relictum in testamento, in quo à pa-

C 2                    tre

tre suo ipsi nihil relictum, potest illud dicere inofficiosum; nec, si nomine pupilli testamentum dixerit inofficiosum, legatum in eo sibi relictum perdit. Relictum quidem accipiendo vel petendo testamentum comprobare videtur, quod semel probatum amplius improbare non potest *l. si pars. 10. §. 1. ff. de inoff. test. l. si is 31. §. diversum 3. ff. eod.* hoc tamen verum est, si proprio nomine, aut alieno, sed spontaneo patrocinio id fecerit, ut advocatus vel procurator *l. fin. ff. h. t.* non si alieno, necessarioque officio, puta tutor nomine pupilli, curator nomine adolescentis *h. §. §. d. l. 10. §. 1. ff. h. t.* hos enim necessitas excusat, nec nocet voluntas. *Vigl. hic & Vult. num. 2.*

## POSITIO

*Pupillus seu minor si auctoritate tutoris vel curatoris hereditatem adierit, & laesus fuerit, restituitur.*

*L. 2. §. 1. t. C. si tut. vel Curat. interven. l. 47. ff. de*

*de minor. l. 29. ff. eod.* Quamvis enim tutores & curatores in rebus minorum pro dominis habeantur, hoc tamen verum est, dum profint minoribus non noceant, cum uti nominis ratio indicat, ad tuendum & curandum dati sint. Nec magis quid contrarium est tutelæ aut curæ, quam hisce commissis nocere *Vid. N. Leonis 34.* alias quoque quæ in favorem alicujus introducta sunt, in læsionem ejus & incommodum converti non debent *l. nulla ff. de Legib. l. quod favore C. eod.* Nec frustra adhibetur eorum auctoritas; hæc enim introveniens hoc præstat, ut ipso jure valeat, quod geritur, quod alioqui non valeret, *t. t. J. de auth. tut. l. 3. C. de in integr. rest.* quodque ideo jure valens rescindi non possit, quamvis minoribus læsis, nisi postulata in integrum restitutione, idque intra tempora ad eam rem constituta. Hoc amplius, si minores læsi non sunt, id efficit, ut remota in integrum restitutione, non possit pro libidine minorum rescindi unquam quod gestum est. Datur quidem actio contra tutorem *l. 3. C. si tut. vel Cur. l. 45. in fin. ff. de minor.* nihilominus tamen, quamvis is sit solvendo, etiam restitutio, *d. l. 3. Don. 21. comm. 11. ubi tres habet exceptiones. I. in l. sancimus 25. C. de admin. tut. II. in l. pen. C. ad Trebell. III. in l. praperandum §. ult. C. de Jud.*

§ Igitur quartam, fin.

## PARAPHRASIS.

**P**Oterat relinqui legitima quovis titulo ad excludendam inofficiosi que-

C 3

relam.

relam; donatio quidem inter vivos non  
excludit, nisi nominatim eâ lege dona-  
tum sit *l. si non mortis 25. ff. h. t. l. si quan-  
do 35. §. Et generaliter 2. C. eod.* certi ta-  
men casus in Constitutionibus Justinia-  
ni excipiuntur, in quibus donatione eâ  
contemplatione non factâ, querela ni-  
hilominus excluditur: ut si filio sit ac-  
quisita militia, *de qua vide l. ult. C. de  
pignor. l. si quis 11. C. de prox. sacr. scrip.  
Connan. lib. 4. cap. 15. n. 12. §. 13.* ex pecu-  
niâ patris defuncti donationis causa, tan-  
tum filius in quartam imputat, quantum  
si tum cum moritur pater, ipso quoque  
moriente ejus heredi pro casu militiæ  
teneretur is præstare qui ejus loco in ea  
militia succederet, *l. omnimodò 30. C. hoc  
t. l. pen. C. de collat. Vide eleganter Hortens.  
hic.* Non opus est autem, ut singulis libe-  
ris singulæ quartæ relinquuntur, sed sive  
unus sit, sive plures, semper intelligitur  
hereditatis quarta, quam ipsi habeant,  
& inter se dividant; v. c. Duo sunt filii,  
inter

inter quos quadrans totius hereditatis  
distribuendus singuli habebunt fescun-  
cem, qui quarta pars est portionis ab in-  
testato venturæ. *Vid. ad h. §. Dd. Comm.*

## P O S I T I O N E S.

I.

*Legitima hodiè institutionis titulo re-  
linquenda.*

Quocunque olim titulo legitima poterat re-  
linqui. *b. §. quod hodiè est emendatum per N. 115.  
c. 3. ex cujus pr. constat; hodiè non sufficere, quod  
alicui titulo legati vel fideicommissi, aliove parti-  
culari jure legitima portio adscripta sit, sed institu-  
tionis tit. omninò requiri. Ratio perhibetur: quod  
titulus institutionis honorabilior, convenientior,  
atque honestior legato, & omnibus aliis titulis cen-  
seatur, utpote per quem testator institutū heredem  
in locum suum substituat, ut ipsum quasi repræsen-  
tet *arg. l. filiū s. §. sed etsi ff. de Leg. prest.* Existimant  
nonnulli etiam veterum JCtorum tempore, quorū  
in Pandectis relata responsa sunt, hoc obtinuisse, &  
Justinianum aliquando diversum jus disposuisse,  
quos tamen errare credit *Vigl. hic n. 1. qui, n. 3. subji-  
cit etiam jure Canon. tit. Institutionis relinqui. Gilk.  
in A. novissima C. b. t. n. 27. Covarr. inc. Rainutius 16.  
§. 1. n. 1. extr. de Testam. Duar. ad tit. ff. de inoff. testam.  
c. 17. Vult. hic n. 3. Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. quest.  
c. 2. cas. 149. n. 129. Fach. 4. Contr. 24. Dis. Ant. Fab. 14.  
err. 6. Vaud. 1. qu. 5. Waltb. 1. miscell. 9. Cujac. in not. hic.**

*Parente*

*Parentum legitima aucta*

Quia & olim quadrantis nomine parentibus querela fuit concessa. E. & hodiè aucta *arg. N. 18. c. 1. in fine*; facit quod in tollendâ injuriâ Imp. Justin. eandem fermè habeat rationem parentum & liberorum. *N. 115. c. 5. ibi; quia sola est nostra serenitatis intentio, à parentibus & liberis injuriam præteritionis & exheredationis auferre.* Et quamvis in successione prior sit causa filiorum quam parentum; attamen non minus piè parentibus quam liberis relinquitur *l. nam et suis. ff. b. t. Gilk. in A. novissima C. b. t. nu. 22. Cuj. ad d. N. 18. Diss. Vaud. lib. 1. quest. 50.* Idem etiam quo ad augmentum de fratrum legitimâ rectè asseritur, *vide Fach. 4. Contr. 28. Diss. Harpr. hic n. 25. ubi plures allegat.*

*Legitima statuto vel lege municipali minui potest, non tamen omninò tolli.*


Debetur jure naturæ, cui conveniens est liberis parentum hereditates addici *l. 7. ff. de bon. damnat.* quanta verò debeat jure Civili determinatum, ut ratione quantitatis juris Civilis dici possit, in quâ à jure naturæ aliquid detrahitur, igitur & hujus respectu poterit aliter atque aliter de eâ disponi, prout etiam fecit Justin. *N. 18. c. 1.* Cæterum in totum tolli non poterit *§. sed naturalia 11. J. de Jur. nat. gent. & Civ. l. 6. ff. de J. & J. Fach. 4. Contr. 32. Gail. lib. 2. obs. 122. ubi hanc sententiam ait non modo æquiorè, magisq; communem, sed eandem etiam in Camerâ receptam.* Idem verius videtur de parentum legitimâ, quam parentibus è bonis liberorum debitâ in totum tolli nō posse cavit. *N. Elect. Aug. p. 3. c. 12. Dan. Moll. 2. semest. 5.*


Soli DEO, à quo omnia, sit Gloria.



(X2618029)

101A





1593

1617,4 4

Ex Collegio  
Institutionum Imperialium  
DISPUTATIO IX.  
*Ad tit. XVIII. lib. II. Inst.*

DE  
**INOFFICIOSO  
TESTAMENTO,**  
Quam  
D. O. M. A.  
*Consensu Magnifici & Amplissimi  
Fecorum Collegii in illustri hac  
SALANA,*  
SUB PRÆSIDIO  
**CONRADI CARPZOVII**  
WITEBERGENSIS,  
*Nobiliss. & Præstantiss. suis Dnn. Collegis  
sentilendam proponit*  
**PAULUS WESER LIPSIENSIS,**  
*Ad diem 5. Augusti, hora & loco consuetis.*  
**J E N Æ**  
TYPIS JOHANNIS WEIDNERI,  
ANNO M DC XVII.

(3)

